Zur 16 S '14

öffentlichen Prüfung

der

Schüler des Königlichen Dom-Gymnasiums zu Magdeburg

am Donnerstag, den 10. und am Freitag, den 11. April 1862

ladet ergebenst ein

Dr. C. Rehdantz,
Königlicher Professor.

---

1) De parabasi in Aristophanis Acharnensibus commentatio. 2) Jahresbericht.

Magdeburg.
Dampf-Pressendruck von E. Baensch jun.
1862.

De parabasi in Aristophanis Acharnensibus commentatio.

Iam hominum doctorum opera effectum est, ut fabulae Aristophaneae meliorum codicum ope atque auxilio, quatenus pro subsidiorum nostrorum virtute fieri poterat, satis emendate legantur, quamvis in singulis etiamnunc plura restent, de quibus adhuc dubitari liceat; sed hoc de quovisuno fere veterum scriptore dici potest. In universum certe in verbis poetae constituendis nos eam formam, quae ad Alexandrinorum tempora pervenerit, recepisse ac nonnullis locis coniectura in artis criticae regulis legibusque exstructa etiam ultra eos processisse nostro iure gloriamur. Sed ut fit, si uni literarum parti studio quodam egregio operam nostram navamus, praeter hanc aliam partem solemus neglegere, id quod etiam in hoc poeta locum habuit. Nam interpretationem Aristophaneam plus iusto iacere iam inter omnes constat: quae est causa, cur etiamnunc diversissima de poeta certe veterum comicorum praestantissimo proferantur iudicia.[1]) Itaque hac scribendi opportunitate usus ad explicandas eius fabulas aliquid conferre mihi proposui, ac ne ipse quoque in singulis locis tractandis, quae propter quamlibet difficultatem criticam offensionem moveant, consisterem, mihi fabulam elegi Acharnensium, quae quidem fabula consentiente hominum doctorum iudicio optime nobis prodita est. Cur denique ad parabasin delatus sim, facile quilibet unus intellegit.

Priusquam autem ad interpretationem singulorum accedam, paucis primum de eo agendum erit, quemnam locum haec parabasis in fabula in universum teneat, quomodo cum ceteris fabulae partibus cohaereat et qua ratione cum consilio poetae, quod per totam fabulam secutus sit, conciliari possit. Hoc quidem facile apparet poetam hac fabula Atheniensibus commendare voluisse pacem, cui consilio singula qnaeque accommodata et adaptata sunt; tota igitur actio ad hunc unum eundemque finem dirigitur atque contendit. Itaque proponenda sunt primum pacis commoda, quibus animi civium ut cum hostibus bellum componant commoveantur allicianturque, deinde perstringere potest etiam mala nonnulla, quae in ipsa civitate paci obsistant et, quominus tranquillo animo et voluptate quadam illis commodis frui liceat, impediant, unde non

[1]) Cf. Leutsch. in Philol. vol. I. 1846 p. 464

minimam partem singulae actionis partes singulaeque sententiae, quae cum universo illo consilio minus cohaerere videantur, explicandae sunt.

Itaque initio Dicaeopolis Acharnensis primum Cleonem irridet, quod quinque talentis mulctatus sit, qui quidem tum summam in republica tenens belli omnium maxime studiosus fuit, cum bello nefaria consilia quibus sua tantum ipsius commoda spectabat republica turbata facilius pervincere posset;[1]) deinde perstringit eam tragoediae artisque musicae formam quae a prisca Aeschyli et Terpandri simplicitate et dignitate longe aberraverit, quibus indicat Aristophanes quam pacis imaginem animo sibi conformaverit, quae mala ex eo reipublicae statu atque conditione qua tum cives sui utantur removenda ac reiicienda sint; pace igitur facta etiam haec corrigenda et artes tragica et musica ad veterem simplicitatem gravitatemque eam, quae Marathonomacharum tempore praevaluit, reducendae erunt. Tum Dicaeopolis, qui mane in concionem venit, de solitudine queritur: cives enim quanquam sit *κυρία ἐκκλησία*, qua de gravissimis rebus agebatur,[2]) in foro tempus rebus inanibus terere malle nec nisi coactos nec sine summo tumultu ad concionem compelli posse, pacis vero faciendae curam gerere neminem, ipse denique *εἰρήνης ἐρῶν*, cui urbs, in quam homines rustici conferti erant, odiosa sit, quippe qui pagum suum et vitae rusticae gaudia vel maxime desideret, omnia praeter pacis decreta turbare sibi proposuit, quo quidem eius consilio ea quae usque ad v. 127 sequuntur bene explicari possunt. Itaque v. 56 sqq. suffragatur Amphitheo pacem inter Athenienses et Lacedaemonios pacturo, fraudes et fallacias legatorum ab Atheniensibus ad regem Persarum missorum indignatur et aperit v. 62 — v. 127; atque illud cur faciat, apparet, hoc vero inter mala recensendum est illa, quae bellum semper comitentur; bello enim socios comparari necesse est, quamobrem legati mittuntur qui in legationibus tempus terunt, ut civitati quam plurimum pecuniae auferant, immo mittuntur ad Persarum regem, a quo Graecis hominibus nihil boni contingere possit. Tum actio comoediae ita procedit, ut Dicaeopolis sibi, uxori et liberis solis pacem componere constituat, cum Amphitheum a concione reiectum videat; itaque v. 129 sqq. eo consilio illum revocatum octo drachmarum mercede ad Lacedaemonios mittit, talem, cui pacem facere propositum sit, legationem probandam et merito praemio ornandam esse indicans. Priusquam autem ille revertitur, alter prodit legatus qui ad Sitalcam Thracum regem de auxilio missus erat, et ipse diu in Thracia commoratus, ut magnam mercedem acciperet. Primum ille populum ludificat, magnam regis eius amicitiam erga Athenienses praedicans, ut multum sua legatione effectum esse simulet, cuius rei documentum deinde producit exercitum Thracicum auxilio missum, sed quo ad nullam aliam rem uti liceat nisi ut binarum quotidie drachmarum stipendium eis tribuas, qui quo animo sint eo statim indicant, quod Dicaepolin alliis spoliant. Etiam hoc igitur ad belli mala referas, quod Athenienses socios mercenarios conducere cogantur, qui quidem nihil aliud nisi suam ipsorum voluptatem, civium vero salutem minime curent, immo classiariis, a quibus salus civitatis vel maxime pendeat, iustum meritumque demant stipendium.[3])

---

[1]) Cf. quae C. F. Hermannus in Lehrb. der griech. Staatsaltert. §. 164 exposuit.

[2]) Cf. C. F. Hermann. l. c. §. 128, 3. coll. Meier in Ind. lectt. un. Hal. 1835/6.

[3]) Cf. v. 162: *ὑποστένοι μέντἂν ὁ θρανίτης λεὼς*
ὁ σωσίπολις.

Iam cum Dicaeopolis se a concione nihil consequi posse intellegat, illam solvi iubet tanquam ob ostentum v. 169 — v. 174.[1]) Reversus interim Lacedaemone Amphitheus affert inducias quinquennales, decennales, tricennales, quarum cum illae navium apparatum et legatorum ad socios missiones prodant, postremas laetus accipit Dicaeopolis, et rus abit, ut Dionysia celebret, v. 196 - v. 202, magnopere gavisus, quod non iam sibi belli labores sint subeundi, Amphitheus vero fugit Acharnenses, qui eum persecuti erant, quod inducias afferat a Lacedaemoniis, quibus propter vineta devastata[2]) graviter infensi erant.[3]) Unde facile intellegis, quam vana sint eorum dicta, qui singulas huius fabulae partes non bene cohaerere neque deinceps sese excipere putent;[4]) clarissime nimirum antea indicavit Aristophanes qualem chorum iam in scenam producere velit v. 179 sqq.: *πρεσβῦταί τινες*

Ἀχαρνικοί, στιπτοὶ γέροντες πρίνινοι

ἀτεράμονες μαραθωνομάχαι σφενδάμνινοι.

Qui quidem chorus quo sit erga pacem animo, iam spectantibus antequam ipse prodit, apertum est. Itaque procedunt v. 204 *ἐν παρόδῳ* Acharnenses, qui Amphitheum fuga elapsum quaerunt, ut ab eo poenas sumant, quandoquidem ille foedus cum atrocissimis inierit hostibus, ut dicunt v. 226:

οἷσι παρ' ἐμοῦ πόλεμος ἐχθοδοπὸς αὔξεται τῶν ἐμῶν χωρίων.

Deinde incidunt in Dicaeopolin, qui sacrificaturus exit domo cum uxore filia canephoro servo phallum portante et phallicum canit laetitiae plenum, pacis bona praedicans — v. 279. Quorum causa in eis, quae antecedunt, satis indicata est; domum enim intravit v. 202, qua ad vocabulum quod est *εἰσιὼν* animum velim attendas, ut quae ad primitias Dionysio solvendas necessaria sint arcessat. Iam vides eum prodeuntem atque proposita persequentem. Quod vero canat phallicum, ne mireris, hoc moris fuisse in Dionysiis rusticis notum est;[5]) comoediae autem huius consilio optime atque unice convenit, quod illud carmen de pacis praestantia agat. Corripitur deinde a bellicosis et ultionis Lacedaemoniorum cupidis senibus Acharnensium, occisuris eum ob inducias: v. 302: *σοῦ δ' ἐγω λόγους λέγοντος οὐκ ἀκούσομαι μακρούς,*

ὅστις ἐσπείσω Λάκωσιν, ἀλλὰ τιμωρήσομαι.

ac vel magis iratos reddit eos contendens non per omnia iniuriam fecisse, sed passos quoque esse Lacedaemonios; attamen dolo, cum eos in ea re quae illis carissima sit lacessat, id certe ab eis impetrat, ut audire eum velint cervice in trunco lanionio posita Lacedaemoniorum causam agentem — v. 365; id quod et ad actionem et consilium fabulae optime excogitatum esse facile quisque intellegit. Nam primum quod ad actionem pertinet, cum chorum poeta in scenam produxerit, qui aversum a pace habeat animum, fabula iam ita procedere debebat, ut ille

---

1) Cf. C. F. Hermann. l. c. §. 128, 16.

2) Cf. v. 183 *τῶν ἀμπέλων τετμημένων.*

3) Cf. Thuc. 2, 20: *οἱ Ἀχαρνῆς, μέγα μέρος ὄντες τῆς πόλεως, τρισχίλιοι γὰρ ὁπλῖται ἐγένοντο, οὐ περιόψεσθαι ἐδόκουν τὰ σφέτερα διαφθαρέντα, ἀλλ' ὁρμήσειν καὶ τοὺς πάντας ἐς μάχην.* coll. 2, 21: *οἵ τε Ἀχαρνῆς οἰόμενοι παρὰ σφίσιν αὐτοῖς οὐκ ἐλαχίστην μοῖραν εἶναι Ἀθηναίων, ὡς αὐτῶν ἡ γῆ ἐτέμνετο, ἐνῆγον τὴν ἔξοδον μάλιστα.*

4) Cf. Bode, Gesch. d. hellen. Dichtkunst. III, 2 p. 304: der Zusammenhang der Scenen ist freilich nur locker und oberflächlich. Sie entwickeln sich nicht mit Nothwendigkeit aus einander; denn sie sind nicht innerlich motiviert.

5) Cf. C. F. Hermann, Lehrb. d. gottesdienstl. Alterth. d. Griechen. §. 57, 17.

hostilem animum mutaret propitio erga pacem animo, quod quidem Dicaeopoli perficiendum erat. Deinde vero ille chorus nobis ante oculos ponit eam partem Atheniensium, qui ut Acharnenses belli maxime studiosi erant nec verbum ullum de pace cum hostibus facienda accipere volebant. Atqui poetae consilium eo continetur, quod hanc civium partem ad meliorem sententiam pacisque amorem traducere conatur. Iam Acharnenses huius fabulae iustis causis ac rationibus a Dicaeopoli eo permotos esse fingit, ut sub exitum fabulae eum summis ornent laudibus, qui pacis defensor exstiterit.[1]) Hoc sane movere poterat etiam ipsos Acharnenses bellicososque Athenienses iratosque mitigare et pacare eorum animos, qui si hac ratione paci conciliarentur, poeta quod volebat consecutus erat. Itaque usque quaque intellegimus, quam bene hic singula quaeque cohaereant, quanquam omnia simul etiam ad comoediae naturam optime adornata sunt.

Iam dicendum est de v. 366 — v. 383, quibus versibus Dicaeopolis primum se nullis ambagibus ad rem ipsam accessurum neque ut vulgo oratores verborum tanquam scutis sese instructurum esse dicit, deinde pericula sua exponit in iudicibus assuetis audire laudes urbis et in iudicando mordere, quod poetae personam induens confirmat suo ipsius exemplo: nam summa difficultate se in iudicio evasisse calumnias Cleonis de comoedia praeterito anno acta. His vero nihil aliud continetur nisi quam dicunt captationem benevolentiae, qua poeta cum tantum ineat certamen contra potentiorem in republica civium partem, benignum a spectantibus animum impetrare studet. Atque honeste probeque et animo bene de rebus publicis sentiente optima consilia civibus, cum ne maxima quidem pericula reformidet, dare sibi propositum esse declarat, quam animi honestatem, ut hic statim id animadvertamus, etiam parabasi comprobare conatur.

Quae vero sequuntur usque ad v. 495, sic erunt explicanda. Judicum coram quos causam agere periculosissimum sit quod misericordiam implorare studeat Dicaeopolis, haud facile miremur. Sed de ratione ea qua hoc fiat, paullo aliter iudicandum esse videtur. Abit ille supplicis miserrimi habitum sumpturus ab Euripide quem eleganter sane deridet. Qua in scena mihi duae res maxime notandae videntur; primum enim hic optime descriptam habemus naturam mendicorum semper semperque novi quid poscentium. Illo vero tempore mendicorum multitudo apud Athenienses magnopere crevit, cum rustici omnes in urbem convenire coacti essent,[2]) quod Aristophanes belli malorum esse recte arbitrabatur: itaque significat belli angustiis mendicorum pestem civitatem invadere, cum pace facta uberrimum commercium divitiasque florere videas. Quam quidem sententiam non satis clare expressam esse concedimus ac fortasse plus hic latere existimamus quam poeta ipse in animo habuit. Deinde autem lepidissimam hic habes parodiam Euripidis; cur hic Aristophanes ad Euripidem devenerit, etiam hoc cum comoediae consilio potest sane conciliari. Indicare enim vult tales poetas nihili existimandos esse neque ullum in ea pace, cuius ipse imaginem sibi effinxerit, locum posse obtinere. Sed ne hoc quidem tam clare significavit, ut me nimium in hac quoque re quaesivisse iure quis contendere possit. Itaque quanquam scena sit facile om-

---

[1]) Cf. v. 971 sqq.: *εἶδες ὦ εἶδες ὦ πᾶσα πόλι τὸν φρόνιμον ἄνδρα τὸν ὑπέρσοφον κ. τ. λ.* et v. 1008: *ζηλῶ σε τῆς εὐβουλίας.*

[2]) Cf. Thuc. II, 14—17. Ar. Eqq. 803 sqq.

nium in hac fabula lepidissima, ut aegre ea carere velis, tamen cum consilio fabulae non tam arcte quam ceterae cohaeret. At etiam eo, quod postremo monuimus, veniam poetae repetere possumus. Nam primum scenae quae antecedunt non multum sane continent quod causam ridendi praebeat, deinde toti orationi, qua Dicaeopolis causam suam agit, seria inest sententia, quanquam singula nonnulla risum excitent. Itaque bene a poeta institutum est, ut scenam lepidissimam facetiarumque plenissimam interponeret, qua animi a severitate paullum remitterent risuque relaxarentur ac denuo ad gravitatem severitatemque reficerentur.

Iam breviter de eis, quae inde a v. 496 parabasin antecedunt, agere possumus, ut etiam haec cum poetae consilio bene conciliari posse intellegamus. Ac primum quidem Dicaeopolis se de rebus publicis absentibus sociis, qui Dionysiis vernis tributa Athenas ferebant, Lenaeis (quibus Acharnensium fabula docta est) non aderant, libere dicturum esse profitetur; priusquam autem Lacedaemonios excusare incipit, se patriae esse amantissimum ac vel maxime eos odisse, qui summo damno ipsum quoque affecerint, praefatur. At quod illi bellum inceperint, propterea eos non magnopere esse vituperandos; immo ne hos quidem neque civitatem Atheniensium, sed pravos quosdam homunculos pro belli auctoribus habendos esse; eos calumniis vexasse Megarenses, hos offendisse Periclem, qui decretis eos ex omni ditione Attica expulerit. Hinc auxilium Lacedaemoniorum, quorum deprecatione ab Atheniensibus reiecta exortum esse bellum pro supplicibus et oppressis Megarensibus nulla illorum culpa. Quae optime comparata esse ad cives movendos, ut iam belli propter minimam causam ab eis adducti a Lacedaemoniis pro civitate oppressa Megarensium incepti finem faciant, concedent omnes. Deinde etiam chori illius bellicosi alteram partem ad Dicaeopolis sententiam traductam esse videmus; ut vero hic transitus iustos quosdam gradus haberet neve sententia bellica patrono ac defensore careret, lepide fixit Aristophanes alteram chori partem adhuc in sua sententia permanentem atque Lamachum gravissimum belli defensorem bellique studiosissimum advocantem. Quem deridet Dicaeopolis, quod cum tanto armorum apparatu prodeat, quanquam sit tantum *σπουδαρχίδης*[1]) et *μισθαρχίδης.*[2]) Probissimos contra viros Acharnenses nullam accepisse mercedem neque honores summo studio arripuisse summa arte additum, ut comprehendi liceat, cur iam totus chorus *παράβασιν* instituens commatium incipiat:

ἀνὴρ νικᾷ τοῖσι λόγοισιν, καὶ τὸν δῆμον μεταπείθει
περὶ τῶν σπονδῶν.

Quibus verbis comitatur abeuntem Dicaeopolin, qui forum in agro suo constituit, in quo per pacem suam commercia agant Peloponnesii, Megarenses, Boeoti, non Lamachus, quem unum nominat eorum, qui bellum cupiunt. Verbis autem quae sequuntur:

ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν,

chorus se accingit ad anapaestos sive parabasin propriam, qua poetae nomine ad ipsos spectatores verba facit.

---

1) Cf. schol. ad v. 595: *σπουδάζων περὶ ἀρχῆς.*

2) Quod schol. ad v. 597 recte explicat: *μισθὸν λαμβάνων* sc. *ὑπὲρ ἀρχῆς* quod exercitum duceret Lamachus, quae quidem explicatio melius cum eo quod poeta dixit *σπουδαρχίδης* convenit quam ea quam addit schol.: *ἢ ὅτι τοὺς τῶν στρατιωτῶν μισθοὺς ἤσθιεν.*

Iam igitur nostrum erit eorum quae ad v. 628 — v. 658 leguntur sententiam exponere atque explicare quomodo haec parabaseos pars cum ceteris fabulae partibus concinat atque cohaereat, id quod primum sit munus interpretationis. Licet autem nobis primum missa singulorum explicatione statim ad sententiam universam explicandam accedere, quanquam haec ab illa pendeat, cum singula hic in universum tam sint perspicua, ut de sententia qualis omnino sit nemo dubitet. Est ille tantum nexus quem desiderent et aeque apertum esse negent.

Primum igitur poeta, quanquam id hucusque nondum fecerit, se virtutem suam civibus ante oculos ponere velle dicit, cum iam inimicorum calumniis id facere coactus sit; videbatur enim certe civitatem cum Lacedaemoniis bellum acerbissimum gerentem irridere et superbe in reipublicae principes exsistere, qui pacem cum hostibus faciendam esse auderet proferre. Itaque se modeste Atheniensibus consilia optima dedisse ac multa bona eis comparare studuisse sibi exponendum erat. Quae bona deinde a v. 634 recenset. Primum autem a se perfectum esse, ut cives non a peregrinis se regi [1]) neque ab assentatoribus tam facile decipi se paterentur. Etiam peregrinos sive socios se reddidisse civitati benevolos, cum eos docuerit, qua ratione regantur. [2]) Quibus studiis gloriam suam ut qui optime de civibus suis meruerit vel ultra socios penetrasse ad Persarum regem, qui maxime audaciam admiratus sit, qua solus civium erga reipublicae principes hominesque plurimum potentes summa dicendi libertate usus verba fecerit. Itaque lepide fingit illum ex legatis Lacedaemoniorum in aliis rebus, quae vulgo quaeri solebant, [3]) sciscitatum, utris faveat Aristophanes, et eos esse victuros dixisse, qui huius poetae consiliis utantur. Ac summa quidem arte a sociis vel subiectis civitatibus transitum fecit ad Persarum regem, quem et Athenienses et Lacedaemonii eo bello socium sibi comparare studebant, atque postremo ad ipsos hostes Lacedaemonios, qui iam pacem Atheniensibus proponant ac vel maxime Aeginam affectent, alia de causa nulla, quam ut poetam hunc Atheniensibus auferant. Possidebat enim praedia in Aegina, quod nullo iure addubitavit scholiasta quidam ad v. 654: *οὐδεὶς ἱστόρηκεν ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης*, atque illud ad Callistratum, cui fabulam Acharnensium docendam tradidit Aristophanes, referre maluit. At hoc minime aptum, Aristophanem vero eorum fuisse, qui *κληροῦχοι* in Aeginam mitterentur, certissimum est. [4])

---

[1]) Cf. v. 634: *παύσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι.*

[2]) Cf. v. 642: *καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας ὡς δημοκρατοῦνται.* Iudicat sua virtute effectum esse, ut optimum Athenienses in socios exerceant imperium. Quae vero schol. ad h. l. affert, cum poetae quidem verbis conciliari non possunt: *τὴν ἡμῶν αὐτῶν πολιτείαν ἐπιδείξας ταῖς συμμάχοις πόλεσι* et *ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι τοὺς ἡμετέρους δείξας δήμους ὅτι δημοκρατοῦνται, καὶ ἄνευ τυραννίδος ἀλλήλοις πειθόμενοι.* Quibus hic aliquid infertur, quod in verbis Aristophaneis non inest.

[3]) Cf. v. 648 coll. schol. ad h. l.: *ποῖοι αὐτοὶ τῶν Ἀθηναίων ἐν τῇ ναυμαχίᾳ κρατοῦσιν. ἔθος δὲ τοῖς βασιλεῦσι τὰ τοιαῦτα περιεργάζεσθαι.*

[4]) De quo facto conferas alium scholiastam ad eum quem citavimus versum: *ταῖς ἀληθείαις εἷς ἦν τῶν ἐν τῇ νήσῳ κληρουχησάντων*, et Vitam Aristophanis apud Duebner. scholl. Aristoph., proleg. de comoedia XI, 30: *ὡς ξένον δὲ αὐτὸν ἔλεγε παρόσον οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε. κατά τινὰς δὲ, ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης*, et inprimis locum, qui extat apud Duebner. l. c. XIII, 19: *κατεκλήρωσε* (quod nullum praebet sensum, quare legas *κατεκληρούχησε*) *δὲ καὶ τὴν Αἴγιναν, ὡς Θεογένης φησὶν ἐν τῷ περὶ Αἰγίνης.*

Quamobrem Atheniensibus vel maxime curandum esse, ut hunc poetam sibi conservent, qui iure tantum mala civium facta irridere sibi proposuerit civitatemque ad felicitatem ducere conetur,

οὐ θωπεύων οὐδ' ὑποτείνων μισθοὺς οὐδ' ἐξαπατύλλων,
οὐδὲ πανουργῶν οὐδὲ κατάρδων, ἀλλὰ τ ἀ β έ λ τ ι σ τ α διώκων.

Iam cum quod v. 659 sequitur πνῖγος seu μακρόν tota sententia cum anapaestis qui antecedunt arctissime coniunctum sit, priusquam nexum qui inter ea quae anapaestis continentur et totius fabulae consilium intercedat exponemus, breviter de versuum 659 — 664 sententia dicemus. Atque ab initio parabaseos chori princeps de poeta tanquam alio quodam verba fecerat, hic poeta oratione quam componebat excitatus ipse in choragi os quasi irrepit et aperte de se loquitur.[1]) Ita hic ut in Pace fabula v. 754 repente personae mutantur. Postremo autem poeta se iusta usque suasurum in comoediis exposuerat, iam addit nunquam fore, ut Cleonis minis ac machinis ab hoc desistat proposito et hominem timidum atque ignarum se praebeat, nam a sua parte stare iustitiam, quacum societate coniunctus acerbissimum certamen inire paratus sit. Respicit igitur hic ad v. 377 sqq.: αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν.
εἰσελκύσας γάρ μ' ἐς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε κ. τ. λ.

de quibus versibus cum supra diceremus, ibi iam sententiam, quae parabasi latius explicetur, indicatam esse monuimus; quod illo loco Dicaeopolis Aristophanis personam iuduens indicat, hic choragus et ipse in Aristophanem mutatus clare exponit.

Ut ad rem praecipuam transeamus, quid melius cum consilio totius comoediae conciliari potest quam ut is qui pacem commendare studeat cum eis quos omnes acerbissimo odio persequantur faciendam, se omnino optima consilia civibus etiam antea dedisse affirmet? Atqui talis affirmatio nullius erat momenti, si carebat argumentis, qua de causa ut ea afferret poeta summa arte instituit, nimirum erat metuendum, ut cum semet ipsum laudaret, vanitatis vitium contraheret; itaque primum se nunquam antea ad suas ipsius laudes praedicandas aggressum esse praefatur v. 629:

οὔπω παρέβη πρὸς τὸ θέατρον λέξων ὡς δέξιός ἐστιν.

atque hoc tantum tempore, cum ab inimicis calumniae in eum congestae sint, ut ad eas respondere sibi liceat, sibi esse flagitandum; deinde ipsa argumenta, quae pro causa sua affert, ita exposita atque comparata sunt, ut idem, quod vanitatis opprobrium possit excitare, excitet risum spectantium. Atqui si quis hoc perfecerit, ut quod alii ei vitio vertere possint, id ridendi causam eis praebeat, omnia quae voluit sane consecutus esse censendus est, omni offensione, quam serio causam suam agens incursurus erat, sublata. Quod vero poeta postremo affert, se fortiter obviam ire summis periculis, quae ne antea quidem reformidaverit, id mirum quantum accommodatum esse ad honestatem suam animique probitatem populo probandam facile apparet: quae si probata esset, cives data consilia animo benevolo accepturos esse iure sperare poterat.

---

[1]) Cf. C. Kock, de parabasi, antiquae comoediae Atticae interludio. Gymn.-Pr. Anclam 1856, p. 14.

Accedimus ad quartam parabaseos partem stropham vel odam, quam alteram ab altera diversam vel odam et stropham diversas eiusdem rei quae stropha vocata sit partes esse immerito contenderat H. Koester, comment. de Graecae comoediae parabasi [1]) p. 11, quem quidem recte refutavit C. Kock l. c. p. 17 sq. Strophae autem et antistrophae argumentum semper lyricum est, itaque plerumque continent aut deorum hymnum ut Ar. Nubb. 563—574, 595—606, Equit. 551—564, 581—594, aut musae invocationem ut Av. 736—751, Pac. 775—796, 797—817, Ran. 674 — 685, aut aliud quid. [2]) Hoc Acharnensium loco habemus stropham, v. 665 — v. 675, qua musa invocatur Acharnica animo igneo praedita, ut carmen poetae afferat vehemens atque incitatum. Quae strophae conformatio et bene ad ingenium quadrat Acharnensium, quippe qui maximam partem essent carbonarii, et animos eorum qui spectant reddit attentos ad epirrhema quod sequitur.

Atque epirrhemate inde a v. 676 — v. 691 acerbe queruntur senes illi se non eo, quem vita ante acta meriti sint, loco a civibus haberi, sed iuvenum subtilibus calumniis in iudicio circumveniri et mulcari. Iam igitur quaeritur, quomodo haec epirrhematis sententia instituto comoediae conveniat. Quam sententiam etiam per antistropham et antepirrhema persequitur poeta, postremo adiuncto consilio, ut senes de senibus, de iuvenibus iuvenes cognoscere liceat. Respicit autem hic Aristophanes ad malum aliquod gravissimum, quod tum rempublicam invasit sophistarum et sycophantarum, [3]) quibus prisca illa gens Marathonomacharum si in iudicium vocabantur resistere non poterant. Nec tamen hanc civitatis pestem in pace Aristophanea locum habere posse in propatulo situm est; atque cum Dicaeopolis forum constituerit in agro suo, expressis verbis ab hoc secludit sycophantas v. 725:

ἐνταῦθα μήτε συκοφάντης εἰσίτω
μήτ' ἄλλος ὅστις φασιανός ἐστ' ἀνήρ.

et postquam a Boeoto aliquo anguillam Copaicam emit, Atheniensibus mercibus ad permutandum oblatis et acceptis, Boeoto tradit eum qui illic se intruserat sycophantam Nicarchum, sarmentis ut figlinum vas illigatum v. 933 sqq. Vidimus igitur parabasin et respicere ad ea quae antecedunt et praeparare ea quae sequuntur, quae si recte a nobis exposita sint nemo iure dicat, eam nihil aliud esse nisi interludium, quod cum totius fabulae actione et consilio non cohaereat; inest profecto unitas quaedam poetica etiam in hac comoedia, quae hac eius parte non modo non turbatur vel debilitatur, sed vel maxime firmatur et tanquam vinculo continetur, cum poeta ibi nos collocare studeat, unde et retrospicere et praevidere iustumque de singulis omnibus iudicium ferre possimus.

Iam igitur cum in universum quid poeta in hac parabasi componenda sibi velit, expositum sit, transire licet ad singulorum et verborum et sententiarum interpretationem.

Habemus autem hic brevissimum commatium, quod duobus tantum versibus continetur, sed ut omnino hic quoque in eo versatur, ut fabulam cum parabasi coniungat atque hanc iam actum iri indicet. Itaque ipsam chori *παράβασιν*, qua ad spectatores propius accederet et in

---

[1]) Gymn.-Progr. Sundiae 1835.
[2]) Cf. C. Kock, l. c. p. 18.
[3]) Cf. C. F. Hermann. Staatsalt. §. 160 n. 10 sqq.

medium progressus[1]) ad eos converteretur, nonnisi celeriter esse perfectam statuendum est, neque ulla est causa, cur ut Kock. l. c. p. 13 arbitratus est in hac et Pacis parabasi commatium omissum esse dicamus. In ceteris vero viro docto assentimur, qui G. Hermanni sententiam in epit. doctr. metr. §. 653 prolatam, qua commatium a coryphaeo pronuntiatum esse censeret, reiecit et ipse verum quidem commatium, cum hic *κομμάτιον ψευδές* sibi invenisse visus esset, a toto choro cantatum esse contendit. At hoc etiam in huius parabaseos initium optime quadrat. Nam pauca quae dicit chorus satis sane excitata sunt, cum gaudium quod de victoria a Dicaeopoli reportata animo sentit verbis exprimat; at non necesse erat multum temporis in ea sententia accurate describenda consumere; gravius aliquod munus iam ei mandatum esse subito sibi in memoriam revocat: *ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν*, id quod etiam particula *ἀλλὰ* bene expressum est: haec quidem nunc mittamus, id ipsum agamus quod hoc tempore nobis gravissimum est.

Verbum quod est *ἀποδύντες* recte explicuit schol. ad h. l. his verbis: *ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀποδυομένων ἀθλητῶν, οἱ ἀποδύονται τὴν ἔξωθεν στολὴν, ἵνα εὐτόνως χορεύωσι καὶ εὐστροφώτεροι ὦσι πρὸς τὰ παλαίσματα.* Conferas etiam locum qui exstat in Ar. Pac. 729:

ἀλλ' ἴθι χαίρων· ἡμεῖς δὲ τέως τόδε τὰ σκεύη παραδόντες
τοῖς ἀκολούθοις φῶμεν σώζειν.

et schol. ad h. l. *τὰ σκεύη: τὰς ἅμας, τὰ σχοινία. γυμνὸν γὰρ ποιοῦσι τὸν χορὸν οἱ κωμικοὶ ἀεὶ, ἵνα ὀρχῆται.*

ἐπίωμεν proprio vocabuli sensu hic accipiendum est; significatur chorum accedere velle ad anapaestos; quanquam ei ipsi sint anapaesti quos loquitur, tamen hoc poterat dicere, quod ea parabaseos pars quae sequitur proprium sibi gerit anapaestorum nomen, etiamsi alio metro utatur poeta.[2])

Duobus autem versibus illis pronuntiatis ipsa chori parabasis sive ad spectatores conversio ad tibiae cantum[3]) instituitur. Iam choreutis ad spectatores conversis, id quod diversis septem motibus perfectum esse verisimile est,[4]) sequuntur triginta tetrametri anapaestici, quos a solo chori principe dictos esse C. Kock, l. c. p. 8, alii permulti statuunt. At nobis hoc aliter se habere videtur. Nam id quidem dubitari non potest eam parabaseos partem

---

1) Recte Koesterus l. c. p. 3 cum voce *παραβαίνω* voces *παρέρχομαι, πάρειμι, πάροδος* contulit.

2) Cf. Poll. IV, 112: *ἡ δὲ παράβασις ὡς τὸ πολὺ μὲν ἐν ἀναπαίστῳ μέτρῳ· ει δ οὖν καὶ ἐν ἄλλῳ, ἀνάπαιστα τὸ ἐπικλην ἔχει.*

3) Cf. schol. ad Av. v. 682: *ὡς αὐλὸς γάρ ἐστι φθεγγομένη. ἢ ἐξῆλθεν ἔχουσα αὐλόν .... πολλάκις πρὸς αὐλὸν λέγουσι τὰς παραβάσεις.*

4) Cf. Vit. Arist. l. c. XI, 87 not. ex cod. V.: *ὁ κωμικὸς χορὸς .... εἰσῄει .... ἐν τετραγώνῳ σχήματι, ἀφορῶν εἰς τοὺς ὑποκριτάς. ἀναχωρούντων δὲ τῶν ὑποκριτῶν ἑπτάκις ἐστρέφετο ὁ χορὸς, προσέχων ἐφ' ἑκάτερα μέρη τοῦ θεάτρου. ἐκαλεῖτο δὲ τὸ τοιοῦτον σχῆμα* (*ὅρχημα* V. correxit Dindorf.) *τῆς ὀρχήσεως παράβασις ὁμωνύμως τῷ γένει.* et Tzetz. apud Duebner. l. c. X c. v. 38 sqq.:

ἐν τετραγωνίζοντι τοῦ χοροῦ τύπῳ,
ὑποκριταῖς τὸ βλέμμα δεικνύων μόνοις.
ὧν ἐκδραμόντων ἑπτάκις ἐστραμμένος
χορὸς καθώρα πρὸς διπλῆν δήμου στάσιν·
τὸ δ' ἑπτασυστρόβητον ὄρχημα τόδε
παράβασιν ἔσχε τῷ γένει κλῆσιν φέρειν.

quae *πνῖγος* sive *μακρόν* appellatur ab uno tantum homine pronuntiatam esse, at si illa pars brevissima longior esse visa est, propterea quod *ἀπνευστί* summo animi fervore gravique anhelitu dicenda erat, quanquam hoc in anapaestis non erat necessarium, tributa uni homini contentio illos quoque versus dicendi certissime maior fuit quam ut bene eam sustinere posset. Iam cum nulla adsit causa, cur hic chori principi anapaestos dicendos delegemus, ab universo choro eos pronuntiatos esse statuemus. Pnigos autem, quod anapaestos sequitur, sine dubio uni tribuendum est, primum quod nomine suo non dignum fuisset, si a multis, aliis alios adiuvantibus, recitatum esset; deinde etiam causa posita est in sententia, quae ad unam poetae personam atque ad eius inimicum summa animi acerbitate respicit, totius civitatis non ut antea hic quoque ratione habita. Itaque optime sententia macri convenit ut ab uno homine proferatur, chori principe, qui causam ipsius poetae suscipit fortiter defendendam.

V. 629 *οὔπω παρέβη*· schol: *ἀντὶ τοῦ, ἐν τῇ παραβάσει οὔπω εἶπε.* At hoc in vocabulo non inest, sed propriam hoc loco retinet significationem, cum statim addatur *λέξων*, nondum poeta parabasi usus est, ut suas ipsius virtutes spectantibus proponat. Quantopere vero comici poeta soliti fuerint in anapaestis se suasque virtutes praedicare, ut multis aliis ita hoc quoque loco indicatur.[1]) Dicere autem tum poterat Aristophanes se hoc nondum fecisse, posterioribus vero fabulis hoc non iam ei licebat, nam saepissime ingenue praedicat, quantum de Atheniensibus meritus sit, quorum animos ad rectam rationem reduxerit, ut in Vespis v. 1017 sq. et v. 1043 sq. et in Pace v. 736 sqq. Atque ad magnam artem animum velim attendas, qua Aristophanes in universum suas ipsius laudes descripserit, cum quomodo hoc Acharnensium loco eas adornaverit iam supra exposuerim. Nam etiam Graecis erat tale proverbium, quale notissimum illud Germanicum de eo qui semet ipsum laudare aggreditur, de qua re conferas Zenob. cent. V. 100 in Paroemiogr. Gotting vol. I. p. 160.[2]) Itaque hoc loco Aristophanes statim v. 629 — v. 632 causam addit, cur tunc non tam se laudare, quam ab inimicorum Cleonis maxime calumniis se defendere constituerit. Vel etiam primum vituperat Athenienses *ταχυβούλους* eos appellans quod re aliqua ab homine quolibet imperito prolata statim abrepti, non rem ipsam quomodo revera se habeat considerantes celeriter consilia capiant funestissima, quae reipublicae perniciem afferant. Quam reprehensionem etiam aliis profert locis; conferas Nub. v. 587 sq.: *φασὶ γὰρ δυσβουλίαν τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι.*[3]) Sed ne offensionem praebeat civibus, statim addit v. 632: *ἀποκρίνεσθαι δεῖται νυνὶ πρὸς Ἀθηναίους μεταβούλους.*

Neque enim sunt solum celeriter commoti ad mala consilia capienda, sed si quis iustis prolatis causis in bonam partem inclinare eos studet, mutatis animis etiam meliora sequi facile

[1]) Cf. Th. Bergk., de reliquiis comoediae Atticae antiquae, Lipsiae 1838 p. 417.

[2]) *σαυτὴν ἐπαινεῖς: αὕτη τῶν κατ' ἔλλειψιν λεγομένων ἐστί· τὸ δὲ πλῆρες ἔχει οὕτως,*
σαυτὴν ἐπαινεῖς, ὥσπερ Ἀστυδάμας, γύναι.
Ἀστυδάμας γὰρ ὁ Μορσίμου εὐημερήσας ἐν τῇ ὑποκρίσει Παρθενοπαίου, ἐψηφίσθη εἰκόνος ἐν τῷ θεάτρῳ ἀξιωθῆναι. γράψας οὖν αὐτὸς ἐπίγραμμα ὁ Ἀστυδάμας ἔπαινον ἑαυτοῦ ἔχον ἀνήνεγκεν ἐπὶ τὴν βουλήν· οἱ δὲ ἐψηφίσαντο ὡς ἐπαχθὲς αὐτὸ μηκέτι ἐπιγραφῆναι. διὸ καὶ σκώπτοντες αὐτὸν οἱ ποιηταὶ ἔλεγον κ. τ. λ. Cf. Leutsch. nott. ad h. l. Ut taceamus notissimum illud Demosthen. de cor. §. 3 sq.

[3]) Cf. C. F. Hermann. l. c. §. 164, 15. Kuster. ad Ar. Eq. v. 1055: quare olim Athenienses vulgo et haberentur et dicerentur *κακόβουλοι* vel *δύσβουλοι*, exponit schol. ad Nub. 587 et Eccl. 471 itemque Suidas in *Ἀθηναίων δυσβουλία* et *γεραίτερος*.

parati; nam sic *μεταβούλους* explicandum est, quod recte significavit schol. his verbis: *ὅτι ταχέως μετανοοῦσιν ἐν οἷς βουλεύονται.* Legitur autem *ἀποκρίνεσθαι* pro *ἀπολογεῖσθαι*[1]) etiam in Vesp. 951, Thesm. 186. V. 631 pro *ἡμῶν* legendum esse *ὑμῶν* propterea quod v. 632, 633, 636, 637 et eis qui sequuntur ubique secundae personae pronomine poeta usus sit, facile intellegis.

Deinde poeta transit ad suas ipsius virtutes praedicandas, quae maxime eo cognoscantur, quod cives iustam rerum conditionem considerare atque inanes hominum barbarorum sermones vanaque promissa despicere atque contemnere docuerit. Quomodo autem hoc faciat, ipsa iam hac fabula ostendit exemplo Theori v. 134 sqq., qui ad Sitalcam missus erat legatus. Qui quidem primum Atheniensibus os sublinere studet deditissimum eius regis erga eos animum praedicans ac blandia dicta afferens v. 142 sqq.:

καὶ δῆτα φιλαθήναιος ἦν ὑπερφυῶς,
ὑμῶν τ' ἐραστὴς ἦν ἀληθῶς ὥστε καὶ
ἐν τοῖσι τοίχοις ἔγραφ', Ἀθηναῖοι καλοί.[2])

Cuius generis dicta hoc loco significantur, cum dicit poeta v. 633 cum contemptu quodam cives *ξενικοῖσι λόγοις* decipi se passos esse, antequam ab ipso admoniti sint. Hic autem alia nonnulla huiuscemodi dicta commemorat, quorum lepide statuit gradus quosdam pro adulationis quae in eis inest magnitudine: nam quo maior fuerit adulatio, quanquam sit vel maxime ridicula atque inepta, eo facilius eos qui dicerent quidquid vellent se consecuturos esse[3]) sperare potuisse.

Iam dicamus de singulis eis quae memoratu digna esse videntur. Pro *φασὶν* v. 633, quod operarum errore hic intrusum esse recte A. Meinecke, Aristoph. comoediae p. LV monuit, *φησὶν* erit scribendum. Deinde quod eodem versu in libris exstat *ἄξιος* suo iure Dawesius, cum id hoc loco nullum praebeat sensum, duce v. 641: *πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν γεγένηται* correxit, vocabulo quod est *αἴτιος* etiam hic in sedem suam revocato.

Ex eis quae de *ξενικοῖσι λόγοις* supra exposuimus, apparet schol. ad v. 634 falso quidem explicuisse, cum dicat: *ἀντὶ τοῦ ἀλλοτρίοις καὶ μὴ προσήκουσιν*, rectam vero esse eam quam addit: *ξενικοῖς, τοῖς ἀπὸ τῶν ξένων πρέσβεων λεγομένοις.*

Pro *μήθ' — μήτ'* v. 635 A. Meineke l. c. proposuit *μήδ' — μήδ'* atque cum duo articuli, qui his particulis adduntur, omnino inter se pares sint, alter altero tantum explicetur, hoc sane praeferendum esse videatur, praesertim cum v. 657 sq., quibus eadem eiusdem sententiae ratio est, legas *οὐ — οὐδ' — οὐδ'*, quod quidem ex R et Suid. in *ὑποτείνων* recte restitutum est, nam etiam h. l. *οὔθ' — οὔτ'* legebatur [4]).

Χαυνοπολίτας: cf. Ar. Nub. v. 874 sq. schol.: *χαύνωσιν δὲ τὴν λύσιν τῶν δικῶν, οἷον ἀπάτην καὶ κενὰ ῥήματα ἀναπείθοντα τοὺς ἀκούοντας.* Itaque *χαυνοπολῖται* ei sunt cives, qui vanis hominum sermonibus dolisque sibi imponi patiuntur.

---

[1]) Cf. Elmsl. ad h. l.

[2]) Cf. schol. ad v. 144. Thuc. 2, 29 coll. 67.

[3]) Sic enim recte quod v. 640 legitur *ηὕρετο πᾶν ἂν* explicatur, conferas schol. *ἀντὶ τοῦ πᾶν πρᾶγμα κατορθοῖ.* Iure autem hic quod R et Suidas in *ἀφύα* legunt *εὕρετο* pro *εὗρε τὸ* restitutum est, nam et medium genus h. l. aptius esse et articulo ante *πᾶν* sensum magis implicari quam explicari apparet.

[4]) V. 658: *οὐδὲ πανουργῶν* R. *οὐδὲ κατάρδων* R. Legebatur *οὔτε κατάρδων* consentiente Suida in *κατάρδων*. Cf. Dindorf ad h. l.

V. 636 cum libri praebeant οἱ πρέσβεις ἀπὸ τῶν πόλεων, Bentleius versui auxilium ferre conatus est scribens ἀπὸ τῶν πόλεων οἱ πρέσβεις, quod ad unum omnes iure receperunt; inde autem cognoscimus etiam v. 645, qua libri παρεκινδύνευσεν Ἀθηναίοις εἰπεῖν, rectam esse emendationem ab Hermanno in Elem. doctr. metr. p. 400 propositam παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις; verba enim poetae saepius a librariis transposita esse animadvertimus, quae in suum ordinem sunt revocanda, quam ob causam haec Hermanni emendatio Porsoni praeferenda est, qui scribere voluit ὅστις γ' εἰπεῖν παρεκινδύνευσ' ἐν Ἀθηναίοις.

V. 637 ἰοστεφάνους cf. Eq. v. 1324: ἐν ταῖσιν ἰοστεφάνοις οἰκεῖ ταῖς ἀρχαίαισιν Ἀθήναις et ibid. v. 1329: ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀριζήλωτοι Ἀθῆναι coll. schol. ad eum locum quem tractamus: παρὰ τὰ ἐκ τῶν Πινδάρου διθυράμβων (fr. 46). „αἱ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι Ἀθῆναι". διασύρει δὲ ὅτι οἱ προδόται τούτοις χρῶνται τοῖς λόγοις.

V. 638 ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων cf. schol. παρὰ τὴν παροιμίαν, ἐπ' ἄκρων τῶν ὀνύχων, ἔπαιξεν οὗτος ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων εἰπών, nimirum quia cives sedent in concione. Cf. Soph. Aia. 1230: ὑψήλ' ἐκόμπεις κἀπ' ἄκρων ᾡδοιπόρεις. Phrynich. Bekkeri p. 39, 32.

V. 646 A. Meineke recepit coniecturam Elmsleii οὕτως pro οὕτω δ', quae quidem omnino non est necessaria; nullam enim hoc loco invenimus causam asyndeti, cum poeta ab eo quod socii de illo poeta comico sentiunt transeat ad eam opinionem, quam Persarum rex ex Lacedaemoniorum legatis quaerendo (βασανίζων) protulerit.

Ad ἠρώτησεν πρῶτα μὲν αὐτοὺς — εἶτα δὲ τοῦτον τὸν ποιητήν, ne diversam rationem accusativi hic mireris, conferas C. Ditfurt in attische Syntax [1]) §. 222 et §. 52.

V. 650 pro γεγενῆσθαι Blaydesius legi voluit τε γενέσθαι, id quod A. Meineke l. c. p. LV probavit, quanquam hoc versu codicum lectionem reliquit. Tempus autem perfectum sane possit ita explicari, ut ille dixerit Athenienses auctore Aristophane iam factos esse meliores, quamobrem etiam hostes suos victuri essent, at haec est artificiosa ratio interpretandi eorum, qui omnia interpretari conantur, ea quoque quae inexplicabilia sunt. Itaque ego quidem Blaydesi coniecturam illam recipiendam esse censeo, quanquam non ita iudicaverim de ea, quam ab illo receptam protulit vir doctus, cum initio v. 651 κἂν pro καὶ scripserit, nam praepositio ἐν hic omnino non est necessaria.

V. 653 τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν. cf. Thuc. 1, 139: ἐκέλευον καὶ Αἴγιναν αὐτόνομον ἀφιέναι. Quo utitur Aristophanes, ut lepide eius rei causam indicet, velle nimirum Lacedaemonios una cum hac insula poetam comicum, qui tanta civibus suis commoda spemque victoriae praebeat, auferre ut ipsis afferat victoriam ac felicitatem. Itaque est Atheniensium ut eum retineant neque ab his aut aliis eripi patiantur, quod si perfecerint, summa eis tribuet praemia, eo quod optima eis consilia optima animi voluntate subministrabit. Poterat autem interire poeta etiam inimicorum, qui ipsis Athenis versabantur, Cleonis maxime machinationibus, sed sibi his nullum iniici metum propterea quod secum pugnent ius et iustitia, atque ignaviam qualem ipsius Cleonis a se alienissimam esse futuram gravissime et elegantissime in eo quod sequitur macro civibus inculcat.

---

[1]) **Magdeburg 1856.**

Quos quidem versus pulcherrimos ab Euripide petitos esse Elmsleius ad h. l. indicavit [1]), cui poetae ei hac forma tribuuntur:

πρὸς ταῦθ' ὅτι χρῆ καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω.
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἔσται,
κοὐ μήποθ' ἁλῶ κακὰ πράσσων.

Quos optime in usum suum convertisse videmus Aristophanem, nam primum veram eius animi sententiam, qua fortitudine pugnam cum inimico suscepturus sit verbis sublimibus, quibus quidem etiam subtilitas orationis Euripideae a dialectica sophistarum arte repetitae et facile cognoscitur et comice irridetur. Quae parodia conficitur eis verbis quae in fine adduntur, maxime quod Cleon dicitur *λακαταπύγων* [2]). Itaque ne hoc quidem loco comoediae naturam depositam neglectamque esse animadvertimus.

Neque iniuria Bergkius [3]) existimat illos versus ex Euripidis Telepho petitos esse, ita ut Ulixis fraudulentia et astutia notetur. Quae coniectura vel maxime firmatur eo, quod Acharnensium v. 415 illa fabula significatur et v. 416: *δεῖ γάρ με λέξαι τῷ χορῷ ῥῆσιν μακράν* in eis fabulis recensetur, in quibus Euripides recens a disciplina Protagorae gravitate omni et dignitate neglecta omnia ad subtilem istam disserendi rationem sophistarum revocaverat [4]). Deinde a v. 430 usque ad v. 446 haec potissimum fabula irridetur. Itaque etiam hic poeta respicit ad eam scenam, quam inde a v. 393 interposuit. Cui quidem scenae ex nostro loco nova quaedam lux affertur, ut etiam hinc cur fabulae inserta sit melius perspicere possimus. Ab ea nimirum civitate, quae ad pristinam virtutem revocanda et reducenda est, absint novitiae illae sophistarum doctrinae, quibus maxime tragoediae auctoritate probatis effectum erat, ut patrii mores instituta religiones perturbarentur et propemodum funditus everterentur. Jam igitur claro documento docere voluit poeta ista studia artesque aevi sui quam essent pravae noxiae inanes, quod illa scena vel maxime secutus est. Itaque etiam hinc eius interpositae veniam repetere possumus.

Eis vero quae postremo exposuimus nos rediisse eo intellegitur, unde exorsi simus, ut etiam in hac fabula unitatem singula omnia continentem non desiderari comprobaremus; quod quidem inprimis interpretationi nostrae, quam per hanc parabaseos partem peregisse hic sufficiat, propositum erat ostendere. Jam si hac causa non omnino cecidisse visi erimus, quidquid voluerimus nos consecutos esse iudicabimus.

---

1) Eurip. apud Suid. in *ἁλωτὸν* ac *παλαμᾶσθαι* et Cicer. ad Attic. 6, 1. 8, 1. cf. Clem. Alex. Strom. VI p. 670.

2) Cf. Dindorf. ad h. l.

3) De reliq. comoed. Att. antiq. p. 136.

4) Cf. Bergk. l. c. p. 138 sq.